

Bibliothèque numérique

medic@

**Barthez, Paul-Joseph. - Oratio
academica de principio vitali hominis
: quam habuit in Ludoviceo medico
monspeliensi pro solemni studiorum
instauratione**

1773.

***Monspelii : apud
Augustinum-Franciscum
Rochard***

Cote : 90957, t. 7, n. 3

3.
PAULI-JOSEPHI BARTHEZ

MED. PROF. REG.

ORATIO ACADEMICA
DE PRINCIPIO VITALI HOMINIS:

QUAM HABUIT IN

LUDOVICEO MEDICO MONSPELIENSI
PRO SOLEMNI STUDIORUM INSTAURATIONE

DIE TRIGESIMA PRIMA OCTOBRIS, ANNO MDCCLXXII.



MONSPELII,

Apud AUGUSTINUM-FRANCISCUM ROCHARD, Regis & Universitatis
Medicinæ Typographum unicum.

M. DCC. LXXIII.



PAULI-JOSEPHI HARTNER

M.D. 1806. REC.

ORATIO ACADEMICA

DE PRINCIPIO VITALI HOMINIS:

QUAM HABUIT IN

Censeo vero , quod de Natura (Hominis) manifestum quidpiam cognoscere non aliunde possibile fuerit , quam ex Arte Medica : quod quidem facile erit penitus nosse , si quis ipsam Artem Medicam universam probe complexus fuerit. Hippocrates , Libro de Prisca Medicina.

MONSIEUR

Apud Antiquarium-Librum-Forsteri , Paris & Universitatis
Medicinae Typographum Universitatis.

M. DCC. LXXXV.



PRÆCELSO AC PRÆPOTENTI
DOMINO
GABRIELI-MARIÆ
DE TALEYRAND PERIGORD,
COMITI DE PERIGORD, PRINCIPI DE CHALAIS,
Regiorum Ordinum Equiti Torquato, Hispaniarum
Magnati primæ Classis, Gubernatori Picardiæ,
Occitaniæ Præfecto Primario, cet.



ILLUSTRISSE COMES,

*CUM hic Sermo Academicus sit quædam prolusio
scriptorum, quæ de Re Medica sum editurus; illum
Tuo nomini inscribi mihi dulce & decorum est. Labo-
rum meorum primitias Tibi consecrare jubet gratus*

animus , quod me Tuum Medicum in hac Urbe delegeris ultro suadente Viro Optimo & Celeberrimo D. Poissonnier Des-Perières. Tuum vero favorem præcipue ob eam causam & demereri aveo , & magnæ laudi mihi ducam ; quod Naturæ dotibus eximiis absolvas Fortunæ dona in Te cumulata. Tui ingenii lumine discussæ sunt illæ præjudiciorum nubes quibus caligant visus vulgarium Magnatum. Tui splendoris speciem adauges prætenso velo nobilis simplicitatis. Haud alium agnoscis Tuæ potentiæ usum vere sublimem , ac dum creat fortunatos quorum nil indiga esse videtur Tui ipsius felicitas. Ex intimo sensu Tuarum virtutum quas propius spectare datum est , cum infra me habeam causas ambitionis quæ ducerent ad deforme obsequium , gloriæ me profiteri ingenua & summa veneratione ,

COMES GENEROSISSIME,

Tibi devotissimum , Tuumque
humillimum clientem ac servum

Monspeli die 12. Decembris Anni 1772.

BARTHEZ



SCIENTIÆ MEDICÆ initium & magna pars est cognoscere quo principio vita hominis regatur. Ex hujus principii natura prave intellecta videntur fluxisse multiformes opinionum species quæ ab omni ævo theoriâ medicam conturbarunt.

Vulgatissimus semper fuit illorum error qui causas vitæ revocarunt ad leges motuum statutas in illis corporibus quæ nulla vi nisi necessaria gaudere supponuntur. Huc pertinent varia doctrinis heterogeneis fundata systemata Pneumaticorum, Galeni, Chemicarum, & Mechanicorum.

Motus vitales ab influxu mentis humanæ administrari arbitratus est Stahlius ausus obistere contra vocem consciam ipsius Mentis quæ negat suo nutu motus cordis posse gubernari. Sed idem Animæ medicatrici

A

agnovit errores ; quos fatendum esset ferme perpetuos existere ; si Natura Humana dicenda foret errare quotiescumque declinat à regimine perfectissimo motuum vitalium.

Æconomiam omnem corporis humani tribuit Helmontius affectibus cujusdam naturæ ab anima discretæ, quam Archeum nuncupavit. Eruditione medica destitutus , & sæpius subdelirans, circa hujus Principii Vitalis indolem, sedem, & operationes permulta protulit vanissima. Meliora sane tradidisset Boerhaavius, cum in sententiam Helmontii deflectebat jam senior (agens de morbis nervorum) si partes Mechanicorum etiam tum relinquere potuisset.

Jam vero præ reliquis invalescere videtur illa species theoriæ quam sectantur Medici dicti *Solidistæ*. Illi peculiarem corporis vivi Naturam agnoscunt ; sed hujus Naturæ functiones accommodant aut ad Mechanicorum conceptus, aut ad figmenta Methodicorum. Nonnulli quoque addunt mechanicas divinationes de causis antagonismi organorum corporis vivi ; quem ex paucissimis omnino experimentis in exiles formas contrahere nituntur.

Nostrum est, sepositis commentis quæ sibi asciverunt

Medici omnium disciplinarum , ad ductum phænomenorum directe investigare leges juxta quas Principium Vitale Hominis constantius operatur.

De hujus Principii essentia inquirendum esse videretur. Verum eandem prorsus abditam latere fatendum est , rejecto placito auctorum qui mediam posuere inter animam & corpus. Nempe inter entia quæ sese mutuò excludunt quomodo potest dari ens medium quod non sit ens rationis ?

Profecto istud Principium menti nostræ occurrere non potest sub ulla , aut imagine corporis , aut idea spiritus. Etenim affectus queis subjicitur , si conferantur ad curas providas animæ rectoris , vel ad mechanicos inertium corporum impulsus ; nihil communis habere deprehenduntur.

Ex quodam vitio ingenii humani effectum esse videtur , ut à prima ætate Philosophiæ , prætervisis singulis naturæ animantium & vegetabilium , imo & naturæ luminis proprietatibus ; fere universim decretum sit sub alterutro genere aut materie aut spirituum comprehendere quæcumque vigent in Rerum Universitate. Hanc tamen necesse est fateamur ultra Mentis nostræ evagationes pandi immensam & inaccessam.

Optima methodus philosophandi five utiliter ingenia exercendi ea est ; ut rerum essentiis omissis , phænomenorum nexus & relationes versemus.

Itaque Principii Vitalis facultates observando compertas, quamvis occultæ maneant, haud secus ac si ex ipsius natura fluere perspicerentur, admittemus veluti elementa incognita quæ calculum analyticum præstant magis expeditum. Sic brevissima via ducemur ad indagandum quo discrimine circumstantiarum immutetur quodvis phænomenum vitæ humanæ ; & quousque phænomenis diversis, neque alienigenis, extet analogum. Scilicet quæcumque mortales agitant de rerum causis sola varietatum & analogiarum inventionem circumscribuntur.

Igitur dimissa omni quæstione de causis Principii Vitalis ; ipsius vires ut investigandæ nobis videantur, hac oratione exponemus. Hornis prælectionibus *de Natura Humana medice spectata* destinamus quærenda circa huiusdem Principii Vitalis functiones in œconomia sanitatis ; motuum successiones affectatas in summis morborum generibus ; demum habitus seu formas speciales quibus hominum naturæ imprimis differunt.

Vires Principii Vitalis vel agitant corporis animalis
fibras

fibras mobiles & humores; vel præstant sentiendi facultatem.

Motus solidi vivi duplici progressu peragitur, vel celeri & sensibus usurpando, vel tardiori quam ut cerni possit.

Priorem speciem motus velocioris exhibent muscoli: aliusque fabricæ organa quædam, iris, papillæ nerveæ linguæ & cutis, cet.

Subitas agitationes præ reliquis organis concipiunt muscoli. Ipsorum fibræ motus oscillatorios, quibus demum contrahuntur, aliquando forsan & dilatantur, recipiunt ab immediata actione Principii Vitalis.

Fibræ muscularis contractæ crescit robur physicum moleculis vi viva arctius appressis; & idem roboris incrementum inhæret musculis assidue exercitis. Ea ratione concipitur; quapropter muscoli in cadavere rumpantur ab appenso pondere quod vivi attollebant; & undenam surgant vires summæ quarum dispendia Borellus ostendit fieri in contrahendis musculis. Hujus magni viri rationes emendatæ simul veri speciem acquirunt & prodigiose extenduntur; si spectemus robora ingluviei in avibus granivoris, crotaphitarum in feris, musculorum variorum in maniacis; cet.

B

(6)

Alteram motus speciem, qui *tonicus* nuncupatur, servant muscoli non contracti; necnon membranæ vasorum & viscerum; & ipsa cutis (cujus motus obscurissimus aliquando in subitaneum & arbitrarium fuit commutatus.)

Et si motuum tonicorum qui sensus fugiunt mensuræ sumi nequeant; apparet inæqualiter dividi musculis antagonistis articulorum qui in somno remissiori positum facillimum obtinent. (a)

Cum vires tonicæ in organis vivis sibi perpetuo adversentur; ab iis generari non potest motio in sensus incurrens, nisi alicubi rupto æquilibrio exoriantur motus tonici incrementa spasmodica. Vi tonica musculus non trahitur, nisi quo instanti secatur aut paralyti feritur ipse antagonista. Haud dissimili ratione delitescunt vires tonicæ venarum, nisi aliqua ex iis vulneretur. (b)

Vires tonicæ venarum & magnæ partis arteriarum, quæ nihil habent musculosi, videntur sanguini imprimere illam æquabilem celeritatem quam experimenta

(a) Inde rectius deducitur quamobrem musculos extensores potius labefactet quæ colicæ pictonum accedit incompleta artuum paralytis.

(b) Imo secta vena potest sanguinem non fundere, solidis omnibus ad summum crispatis, priusquam ea laxata fuerit (Baglivi).

comprobant vigere ferme in omnibus vasis sanguiferis. Etenim huic effectui prorsus impares sunt iis vasis tributæ vires elateris, derivationis, aliæve mechanicæ.(a)

In vasis glandularum aliorumque viscerum quæ lympham, lac, sperma, & reliquos humores secretos vehunt; vis tonica dispalescit: ita tamen ut vicinorum muscutorum pressione passim adjuvetur. Porro is motus illorum vasorum abire potest in vere peristalticum: quod in ductu choledochi peculiariter deprehensum fuit.

Motus tonicis membranarum Helmontius aliique ostenderunt solummodo ex symptomatis variis morborum spasmodicorum. Nos vero complementum hujus demonstrationis proponere posse nobis videtur ad ea symptomata conferendo labe repertas apud homines illis morbis sublatis. Nonnulla in exemplum seligimus: omittemus incertiora; uti quod cerebri tenor densetur ut plurimum post affectus maniacos aut convulsivos.

Mesenterii membranas ab invicem divulsas & flatum

(a) Dum morte deletur tonica fibrarum renitentia; oculi flaccescunt, tumores pure distenti concidunt, cet. Hallerus offendit aliquando loco pulmonis sinistri absumpti vasa majora quasi resecta, patulo sine hiantia; ut sanguinis effluxum quid moraretur ægerrime inveniret. Numquid in hoc ægro spirante oras vasorum vi tonica constanter arctatas fuisse oportuit?

includentes in foemina hysterica vidit Willifius. — Mediastinum distensione spasmodica disruptum fuit in nonnullis hominibus peste Massiliensi enectis. — Asthmatici quandoque experiuntur sensationem adscensus violenti pulmonis; qui vicissim visus est versus jugulum retractus in cadaveribus asthmaticorum. — Hepar præter naturam constrictum, compactum, & quasi coctum reperit Morton post dolorem spasmodicum horrendum productum ab hypochondrio dextro, quem fere in omnibus phthisi icterica denatis observavit.

Vis motrix tonica, perinde ac muscularis, fibrarum quas continet cohæSIONem firmat; ita ut hoc vinculo levato ea cohæSIO imminuatur. Innotuerunt succi venenati, qui venis traditi lethum inferunt celerrime cum subita carniū flacciditate. Venena minus rabida vulgo tumores flatuosos excitant; resoluta, ut videtur, vi tonica aerem fibris insitum liberando.

Nescitur tamen qua ratione imminuta cohæSIO fibrarum respondeat decrementis virium motricium; tum tonicæ, tum muscularis, quæ possunt non esse inter se proportionata. (a)

Dictum

(a) Idcirco miramur cum Ill. de Haen; quod in homine à colica pictaviensi pa-

Dictum est de viribus motricibus quas Principium Vitale exerit in fibra molli. Etenim filemus ejusdem Principii vires quæ in solidis ossibus aut durissimis obscuratæ paulatim extinguuntur; haud fecus ac vita cochleæ definit in ipsius corporis parte lapidea (Swammerdam.)

Nonnulla juvat subnectere de motu vitali intestino sanguinis & humorum.

Ad hunc motum intelligendum vix prodest humorum analysis menstrualis, hætenus imperfectissima. (a)

Humorum in corpore vivo generationes & transmutationes concipi ullatenus nequeunt sine immediato Principii Vitalis influxu.

Num alternantes & successivæ varietates densitatum quas notavit Ill. De Haen in portionibus sanguinis eadem venæ sectione educti, repetendæ sunt à turbato influxu quo Principium Vitale commotum agitat partes contiguas massæ sanguineæ? (b)

ralytico artus superiores resoluti ad ossa usque molliissimam pulpam referre compert; sint (dehinc tamen reddita pristina soliditate) etiamsi muscoli flexores ad agendum minus inepti essent erectoribus ; atque pulsus & calor integri permanissent.

(a) In qua (ut hoc obiter notemus) perperam videntur negligi mucago quæ humorum partes aqueas conciliat oleosis ; & spiritus rector substantiarum animalium qui destillatas ex iis aquas donat virtute analeptica ; cet.

(b) Hoc confirmat observatio Stahlî de sanguine misso in quadam muliere epileptica (Theor. Med. Ver. pag. 678.) cet.

Mixtiones humorum specificas Principium Vitale servat in statu permanente. Ab illo statu desciscunt tacti putredine, cujus levior quidam gradus refert labem scorbuticam. Tunc autem ipsorum partes heterogeneæ nequaquam obtinent eos relatus massæ aut energię quibus liquidi fermentati crassis perennis statui debet : hinc sive æstu, sive vappescentia feruntur in abnormes resolutiones & coagmentationes.

Jam fatis actum fuit de viribus motricibus Principii Vitalis ; de hujus vi sentiente inquirendum est.

Vim sentientem aïmus esse potestatem *efficiendi* sensus omnes in corpore vivo, minime vero facultatem eos sensus *patiendi*. Etenim ex crassis circa res corporeas conceptibus, quibus homines assueverunt, nata est opinio ; quod sensus in motu consistat, adeoque organa viva sensum recipiant ex impressione extus communicatâ. Verumtamen in dato organo ejus stimuli perceptio cum sit magis minusve acris & incitata ; necesse est organum sentiens varie animari à Principio Vitali sub diversis circumstantiis, ut illas sensus varietates concipiat.

Sensibilitas communis existere videtur in omnibus organis corporis vivi per se mobilibus. At vero sensibi-

lilitatis speciem aliquatenus peculiarem obtinent singula ex præcipuis organis.

Ea sensibilitatis discrimina patefacta sunt numerosis experimentis. Oleo læduntur oculi; aqua tepida ventriculus convellitur, minime spiritu vini; tartaro stibiato membrana pituitaria non offenditur. Cl. Benefeld vidit absque ullo sensus indicio duarum meningem fuisse punctam, laceratam, tactam oleo vitrioli; verum fumos cruciatus & convulsiones attulisse eandem tactam caustico lunari aut perfricatam peniculis ferreis. (a)

Præterea variis cujusque organi læsionibus ipsius sensibilitas admodum immutatur, etiam in horas à causis levissimis (Schulze); quanto magis à morbis gravioribus. Quod egregiis animadversionibus illustraverunt Gorter, Le Cat, Reimar, cet.

Prorsus ignoramus undenam sumendæ sint accuratæ mensuræ sensibilitatis. Ad eam augendam inservire videtur certus gradus tensionis organorum; unde & forsitan oritur exquisita sensibilitas in cute epigastrii. (b)

(a) Ab hujusmodi experimentis non una vice renovatis idem auctor merito concludit; ad explorandam cujusque organi C. H. sensibilitatem admovenda esse varia acria aut instrumenta irritantia; quod fallere possit effectus præjudicatus stimulorum qui per similes videntur.

(b) Homines equuleo torti, si modo læviter cædantur tenui fune, acerbissimum dolorem exinde patiuntur (Richter).

Cæterum sensibilitas æstimanda non est ex nervorum tensione (qui numquam extenti sunt, nisi præter naturam; Haller): neque ex ipsorum nuditate (quod nervus opticus involucris positus in oculi ingressu non sentiat). Denique sensibilitas potest non alligari solis nervis; cum adsit manifesta in dura membrana encephali, cujus nervi nulli sunt juxta Hallerum, aut saltem paucissimi.

Per experimenta investigandæ sunt leges quibus vis motrix in singulis organis refertur ad vim sentientem. Eæ leges nos hætenus latent, quas probabile est admodum discrepare juxta diversas formas Principii Vitalis, de quibus olim agetur.

Profecto maximæ parti Medicorum ea fedit sententia quod sensum definitum sequatur motus proportionatus. Sed inæquali admodum ratione affliguntur vis movens & vis sensitiva in fere omni paralyfi. Epilepsia aliquando reduci potest à sensationibus levissimis, aliquando nullis eorum stimulorum quibus consuevit excitari. Intenso vigore pollentes maniaci vix ac ne vix quidem sentiunt validas doses pharmacorum drasticonum. (a)

Ubi

(a) Motum magnum cum parvo sensu in intestino fæminæ laceffito observavit Leidenfrost; cet.

Ubi in dato organo vivi hominis viget relatio mediocris & constans sensibilitatis ad mobilitatem, illud fruitur *tenore medio sive energia stabili*. A quo modulo, prout recedit prædicta relatio, istud organum infirmius fieri censendum est.

Haftenus ideas effinximus virium sensus & motus quibus Principium Vitale animat singula puncta corporis vivi, dum earum virium effectus simplicissimi & unico momento peracti considerantur. Sed illæ vires in œconomia animali applicantur ad perficiendas successiones vel combinationes definitas eorum effectuum quæ *Functiones* nominantur.

Earum functionum influxus mutuos sive consensus indagare necesse est; quandoquidem de summa virium Principii Vitalis disquiritur.

Unaquæque species consensus functionum dignoscitur tantummodo, ubi erumpit in affectus singulares morbosos. Latet abdita, nisi peculiari quadam status naturalis alteratione turbata enitescat præ reliquis sympathiis in œconomia animali æque perpetuis. Ita raris observationibus arcana Naturæ produntur.

Ex phænomenis sollicite conlectis & in certa capita digestis apparet quod organa corporis humani connec-

D

tantur quam maxime sympathiis functionum , quas exercent , analogarum.

Is consensus functionum analogarum potissimum elucet in organis simplicioribus ; ut in textu cellulari , membranis , nervis , vasis sanguineis , ductu alimentorum , glandulis conglobatis , cet. (a)

Ad eam quoque speciem consensus referuntur observatae sympathiae membrorum parallelorum ; renum in nephritide , oculorum in ophthalmia , brachiorum in rheumatismo , cet. (b)

(a) Singulorum ex iis consensibus numerosa exempla suppeditabunt Bauhnerus , Rega , Langhans , alique ; quorum collectaneis nonnulla juvat superaddere.

Lieberkuhnus aquam in cellulis pulmonalibus effusam ad crura pediluvii descendere cogebat , tumque roborantia adhibebat. (Tiffot de Hydrope).

Vitiorum lumbarium communicatio cum mesaræo , mesocolo , & intestinis hydropifica esse solet. (Duretus).

Membranarum & vasorum sanguineorum sympathiae monstrantur ex iis quæ jam dicta sunt de motu tonico. Consensum inter vasa sanguifera confirmant transitus phrenitidis in peripneumoniam , dispositiones anevrysmaticæ arteriarum fere universi corporis (De Haen) cet.

Zambeccari in pullis gallinaceis observavit ; quod per duos tresve dies à resecto cæco intestino (iis avibus duplici) , nulla fuerit actio ingluviei in grana milii quibus opplebantur , eaque tantummodo inceperint digeri cum pulli convalescerent.

Vidit Willisus magnas in collo & pone aures strumas enatas fuisse glandulis inguinalibus compressis à bracherio ad herniam. Similia memorant T. Bartholinus , & Le Dran.

(b) Huc referendus est consensus singularis digitorum utriusque manus in affectu quodam convulsivo quem Morgagnius ex Valsalva enarravit. Epist. Anat. Med. X. n. 16.

Demum in organis quorum perfimilis est functio, si tensionis uniformitas major accesserit alterius organi irritatione ; probabile est affectum sympathicum in altero facilius emoveri. Ita frequens est titillata cute prurire partes remotas. Huc spectant tremor labii inferioris qui vomitum antecedit, cet. (a)

Notabilem sympathiam servare comperiuntur organa quorum functiones non similes sunt, sed peculiari usus relatione ordinatæ. Sic mammae & uterus mutuo se afficiunt ; mutuasque tradunt operas in mulierum affectibus (Duret.)

At vero nulla relationis proximitas sæpe intercedit functiones ; quæ sympathicæ occurrunt, quamvis longe infrequentius. Huc, inter cætera, opus est revocare lethargum à pulmonia, & multiplices noxas quæ in locis dissitis ex ventriculi offensione pronascuntur. Perperam à Galeno & Sanctorio reprehensus fuit Lycus, cum diceret à stomacho læso tremorem manus oriri posse : propterea quod ipsi inter ventriculum & manus haud ullum consensum pervidebant.

(a) Sedes arefactæ vesicantium prius impositorum visæ sunt rursus aperiri, madescere, & pus copiosum fundere ; cum alia locis distantibus admota fuissent vesicantia (Fanton).

Variae species consensuum ex functionibus nunquam pariunt effectus morbosos frequentiores, & ab alia quacumque causa magis evolutos; quam ubi sympathiam organis *vicinis* aut *è directo positis* tribuunt ipforum vasa conjuncta, membranæ inter se continuatæ, & nervi habentes in proximo communem originem. (a)

Quod illa consensus species maxime observabilis potissimum debeat sympathiæ nervosæ, permultæ docent observationes quas accurate conquirit & exposuit Monrous in Nevrologia. His addi possent plurima: inter quæ signare juvat exemplum quod novi hominis quæ alternis patiebatur dolorem linguæ & surditatem alterius auris; ita ut lingua foret ab omni affectu libera, dum auris læsio perseverabat. Num hujus morbi vices pendebant ex commissura nervi lingualis ducti à tertio quinti paris ramo, & chordæ tympani?

Mirum est, certum tamen, quod (probabiliter ex sejuncta sympathia nervorum utrinque geminorum) corpus vivum aliquando afficiatur velut si in binas partes
dimidias

(a) Huic speciei consensuum minus accurate ascriberentur (quas sympathias dixere Sanctorius & Crawford) extensiones dolorum quæ fiunt per medios musculos dum contrahuntur inter loca spatio longo divisa.

dimidias à capite ad pedes vere divisum existeret. Hoc pridem Medicis observatoribus indicarunt hæmorrhagiæ per narem alterutram aliique affectus è directo visceris læsi prodeuntes; hemiplegiæ, icteri dimidiati, cet.

Hujus ætatis Clinici haud satis colunt præcepta medica antiquitus condita ex consideratione sympathiarum quæ à loco vacuato aut irritato propagantur ad partes vicinas aut è directo positas. Hinc vero æquum est deducere leges & revellendi & derivandi per venæ sectionem; quæ hætenus nituntur theoriis ex prave huc detorta Hydraulica confectis. Hinc etiam fluunt Priscis edicti & tutiores canones circa usum epispasticorum in fluxionibus acutis, & sedes fonticulorum seligendas in fluxionibus chronicis.

In quovis organo insitæ existunt vires motrices & sentientes, quæ varias functiones exercent; sensibilitatem huic organo peculiarem, circulationem, nutritionem, cet. Sed illæ vires impares sunt vitæ illius organi diutius producendæ, si orbentur influxu sympathico alicujus ex systematibus virium quæ in reliquo corpore exequentur functiones analogas.

At vero influxus alicujus ex iis systematibus sympathicis tollitur in dato organo, si partes hujus organi ad

E

illud systema pertinentes subitam & gravissimam læsionem patiantur.

Ea dogmata simplicissime deducuntur ex notissimis experimentis.

Etenim motus & sensus fit jactura irreparabilis in organo cui prospicientium arteriarum truncus arcte revinctus est (Stenon , Kaau Boerhaave , Schwencke).

Multo celerius accidit quod ligatis aut resectis nervis omnibus qui ad organum quodpiam feruntur, in illo dispereant motus ac sensus vitalis : scilicet quatenus pertinent ad affectus Principii Vitalis in reliquo corpore. Nam ibidem sensum & à sensu motum perseverare ; satis ostendit ratio minime mechanica qua artus à corpore vivo recens truncati moventur, ut illatum stimulum fugiant aut repellant.

Vicissim ligatis aut præsectis nervis qui in datum organum distribuuntur, hujus organi affectuum tollitur influxus sympathicus nervosus in reliquas corporis partes. Penitus sistuntur, qui in illo organo primum percepti secus in aliis membris gignerentur ; dolores , vapores epileptici aliive.

Instituti circa nervos hujusmodi experimentis delusi Physiologi asseruerunt ; quod omnis vis motrix in inte-

gro corpore à cerebro per nervos derivetur, omnis vero sensus ad cerebrum ascendat. Inde laborarunt ut commentum quod sibi finxerant explicarent vanis hypothesibus. Opinati sunt facultates motrices & sentientes de-
 vehi aut spiritibus animalibus, aut oscillationibus fibrillarum nervearum. Itaque coacti fuisse videntur ad absurdum; affirmando quod vires spontaneæ incognitæ, imo vires sentientes a motricibus natura divisæ, propagentur juxta leges necessarias communicationis motuum in materia inerti demonstratas.

His conceptibus crassioribus favere visum est vulgatissimum experimentum: quod nervi ligati tensa aut vellata parte quæ est infra vinculum, fremant carnes in quas is nervus dispergitur. At vero tunc superest earum carniū vis motrix vitalis; quæ facile potest suscitari stimulis vel hujus tractionis mechanicæ, vel succi nervei expressi.

Verum enim vero in omnibus corporis vivi organis inter generales sympathias vincit dignitas sympathiæ nervosæ. Nempe, cum nervi sensibilitate præpolleant, huic sympathiæ speciei potissimum alligantur communicationes virium sentientium. Sed vires motrices ubique in corpore vivo sentientibus excitandæ videntur; quam-

vis juxta proportiones incognitas & admodum variantes.

Cum in prima nervorum origine existat centrum sympathiae nervosae, adeoque praecipuum sensus vitalis promptuarium; nulla est pars in corpore humano, quae sit magis vitalis medulla oblongata. Nil mirum igitur si Principium Vitale gravissime perturbetur affectibus qui lacerant organa propiora illis nervorum primordiis. Hinc surgunt pericula dentitionis, anginae malignae, vulnerum in musculis temporalibus, cet.

Vicissim dum acerrimis sensibus percellitur Principium Vitale; quo celerrime se expediat, convellit automaticae organa huic nervorum origini proxima. Hinc in epilepsia, hydrophobia, tetano; deglutitio laeditur, maxillae constringuntur, cet.

A prima hac sede vitalitatis progrediens idem Principium, necdum suas vires expertum, in infantibus multo frequentius faciei quam artuum init convulsiones. (Willis). Rursus ad eundem vitae limitem cum redigitur in extremo agone morborum acutorum; musculos capitis & colli succutiendo ultimos saepe edit conatus.

Haec theoria de influxu sympathico nervoso, qui necessarius est ad vitam fere omnis organi prorogandam,
&

& pendet ab integritate nervorum ejusdem organi ; duplici animadversione est circumscribenda.

I.^{um} In organis nobilioribus quando cessavit vel admodum labefactatus est influxus nervosus , vita tardius definit ; cum ea sint veluti centra aliarum sympathiarum ex functionibus. Hinc , præter cætera , apparet cur in affectibus apoplecticis ; cordis (in quo minima est influxus nervosi energia (Haller)) intestinorum & septi transversii motus spontanei lentius abrumpantur. Hinc vicissim intelligitur quare in affectu veluti apoplectico quem vis opii inducit , extremos artus primum occupet & ultimum relinquat paralyfis (Cullen).

II.^{um} Læsioni gravissimæ nervorum , vel in ipsa origine , non desubito sed paulatim inductæ , ita potest afluescere Principium Vitale ; ut fere supersit integer influxus nervosus in organa quorum vitam ademisset eadem læsio in instanti accidens.

Ita non modo in foetibus , sed etiam in pueris qui ad aliquot annos vitam tolerabilem duxerant , universa cerebri ac cerebelli moles inventa est in aquam dissoluta , aut redacta ad membranæ speciem.

Haud dissimili ratione ; cum violenter compressis sub axilla nervis brachialibus brachium infirmetur & tabescit

F

eat ; iidem nervi visi sunt premi immediate ab anevrysmate arteriæ subclaviæ dextræ , quin ullus brachii dextri torpor ullumve aliud in muliere vivente extitisset hujus compressionis indicium. (Morgagni.) (a)

Etiam subitæ & magnæ læsioni nervorum alicujus organi (modo non omnes corrupti fuerint) paulatim afuescit Principium Vitale ; & demum huic organo propriam functionem valet perficere. Si canis vivo cædantur ex utroque latere nervi recurrentes aut ipsi nervi paris vagi ; statim amittit vocem, sed eam aliquot elapsis diebus recuperat (Valsalva, Emett) : sane ex influxu aliorum nervulorum qui laryngi dividuntur. Quis credat in hoc experimento aliisque similibus, nervulorum cum resectis communicantium meatus non patere spiritibus animalibus nisi post nixus satis longo tempore iteratos ?

Inter systemata sympathica virium quæ peragunt singulas functiones analogas corporis vivi existit sympathia universalis ; quæ vicissim continue mutata per omnem vitæ decusum vires singularum functionum diverse moderatur. (b)

(a) Nulla deprehensa fuit affectio paralytica in hydropicis quibus nervorum plexus & involucra humore aqueo gelatinoso opprimebantur. (Idem) cet.

(b) Prædicta de sympathiis partium quæ eandem functionem exercent, & de

Prorsus nos latet quænam sint vires singulis organis vivis ab ortu insitæ; & qua ratione eædem propriarum functionum exercitio renouentur, atque etiam intendantur. Sed Medicorum est, respicere ad incrementa vel decrementa quæ summæ virium ingenitarum ferunt diversimode alteratæ functiones & functionum sympathiæ.

Dum in universa constitutione ita alterantur constantes sensuum & motuum communicationes, ut singula systemata virium ex functionibus sympathica debilitentur quin tamen ullus functionum consensus præ reliquis vitietur; tunc adest simplicissima Nevropathiæ species. Quod illustrari videtur præstantissima hujusce morbi medicatione. Hanc semper vidimus pulcherrime præstari alterne (& diverse prout discrepat in singulis ægris re-

nexu vitali earum sympathiarum, congruunt doctrinæ maximi medicorum Hippocratis. Etenim hæc habet is Auctor Naturæ verique (Lib. de Alim.): »Confluxio una, »conspiratio una, consentientia omnia. Omnia quidem consentiunt juxta naturam »totius corporis; juxta partem vero, uniuscujusque partis particulæ consentiunt invicem *quoad functionem*». Et alio loco (Lib. de Locis in homine, init.): »Si quis minimam »corporis partem acceptam male afficere velit, totum corpus passionem perferent »qualiscumque ea fuerit; propterea quod minima corporis pars omnia habet quæcumque & maxima. Quidquid vero, bonum aut malum, minima pars pertulerit, »refert *ad partes ejusdem generis*, unaquæque ad suum genus. Et propterea corpus & »dolet & lætatur ob cognationem cujusque minimæ partis; quia in minima omnes »insunt partes (particulæ omnigenæ) & hæ singulæ referunt & transmittunt omnia »(omnes affectus) ad cognatas sibi ipsis». — Aliis concordibus Hippocratis sententiis allegandis superfedemus.

latio virium motricium ad sentientes) subjungendo excitantia sedantibus , vel laxantibus roborantia ; demum utendo medicamentis vere tonicis. Scilicet alternata frequentius priorum remediorum commutatione , veluti repetitis oscillationibus , Natura pellicitur ad constanter obeundas virium communicationes quibus per sanitatem insueverat. Dehinc medicamenta vere tonica facilius restituunt tenorem mediocrem , sive energiae stabilitatem a qua Principium Vitale aberravit.

Quo plura systemata virium ex functionibus sympathica simul labefactantur gravius & diutius ; eo magis *resolvuntur* vires integre Principii Vitalis : eadem *opprimuntur* (ut Veterum more loquamur) seu symptomatice afficiuntur , si unum modo aut alterum ex dictis systematibus graves & mansuras noxas contraxerit. Profecto maximi momenti est ea distinctio ad faciendam morbis acutis medicinam. (a)

Sympathiæ

(a) Hujus discriminis signa characteristica vitiose tradiderunt Galenus aliique ab ipso deducti viri , Vallesius , Ponce de Sanctacrux , ceteri ; paulo rectius indicavit Seb. Nafius. Sed ea signa , si fuerint ad ductum Naturæ delineata , produnt veritatem nostræ expositionis.

! Egregie huc faciunt ingeniosæ observationes Sanctorii de causis febrium *malignarum* (in quibus scilicet indicationes à debilitate essentiali subjiciuntur indicationibus ipsius febris , & cæteris quibuscumque dominantur). Nempe Sanctorius per

Sympathiæ universalis qua diximus regi consensus virium functionibus analogis tributarum, effectus non perpetuus, sed frequentissimus esse videtur *harmonia* in universo corpore intercedens motus vitales fluidorum & solidorum; juxta quam ii motus proportionalia augmenta aut decrementa concipiunt. (a)

De illa harmonia operæ pretium est meditari quæ Baglivus protulit; hinc arcessens varias animadversiones circa ætiologiam & therapeiam morborum summorum.

Ex ea vitali harmonia evacuationes criticæ in febribus acutis sequuntur prægressam coctionem; mox ab humorum depuratione laxatis meatibus. Vicissim febres inflammationibus succedentes coctionis residuum in urinis exhibere deprehenduntur, cum primum loca inflammata fiunt permeabilia; uti observatur statim atque mollescunt madentes oræ magnorum vulnerum, vel antequam pus genitum fuerit (Kloeckhof, Kirkland).

vidit febres malignas potissimum determinari 1°. Cum plures simul excessus patrati fere in usu rerum non-naturalium; uti cum mensæ & veneris deliciis atque una mentis affectibus nimis indultum est. 2°. Cum hujusmodi erroribus vexata Natura acta est veluti in contrarios sensus; quod accidit iis qui fervida tempestate assidue cibos ingurgitant, aut somnos trahunt.

(a) Hinc sequi videtur quod (observante Spigelio) homines quibus est tenuis & rara cutis textura, ut plurimum sanguinem habeant non facile concrecibilem; vicissim quibus constat densa & dura pellis, eorum cruor celerrime in grumos coagatur.

G

Neceſſarie exiſtere videntur leges ſympathiæ univerſalis & ſingulorum conſenſuum inter functiones corporis vivi ſemel peractas ; cum ii conſenſus nulla animantis affectione ſpontanea poſſint inhiberi. At vero ipſæ functiones excitari, ſuſpendi, immutari, & inverti poſſunt juxta determinationes quas Principium Vitale ſponte concipit, non modo à rebus extraneis, ſed etiam ab internis ſtimulis ſollicitatum.

Illæ ſpontaneæ determinationes Principii Vitalis nullatenus poſſunt ad mentem referri cum abeſt illorum affectionum notiitiæ vel liberi delectus conſcientia, quæ menti vigili propria eſſe videtur. Adeo ut non opus ſit id confirmare multis exemplis quibus arguitur frequens dementia inſtinctus quem ſequitur Principium Vitale. (a)

Attamen ſapienti conſilio ſummi conditoris effectum eſt, ut is inſtinctus Principii Vitalis ſine ulla animantis providentia ut plurimum ad fines utiles dirigatur. Eadem ratione movetur animal nafcens (imo eductum ex matris utero proſecto (Galenus)) ut oblatos cibos uti-

(a) Ita equus nititur in ferrum quo punctus fuit : infans recens natus, ſi lacte defraudetur, manum ſugendam ori admovet, (Ariſtoteles) cet.

les sumat, noxios refugiat; qua favos mellis apes extruunt, telas araneæ, nidos aves &c.: imo qua pampini cucurbitæ vegetantis varie diriguntur & contorquentur ad diversas regiones unde ipsis admoti sunt pali quos complectantur (Fanton); cet.

Ars illa divina qua materies ex seipsa movetur ad finem ab artifice destinatum agit singulas partes corporis animalis; quod eapropter Galenus ingeniose contulit cum Vulcani officina ab Homero descripta, in qua ipsi folles vivebant.

Defectus providentiæ animalibus inditæ etiam arguitur; quod in prima animantium ætate, priusquam absolutus fuerit partium organisumus, Principium Vitale motus olim perficiendos per instrumenta nondum evoluta conari deprehendatur:

Cornua nata prius vitulo quam frontibus extent,
Illis iratus petit atque infensus inurget; cet. (Lucretius).

Itaque Principii Vitalis perfectio non moratur abso-
lutionem organorum; quorum usibus præludere videtur
ex harmonia quadam præstabilita.

Ultimum igitur quærendum superest quænam sit Prin-
cipii Vitalis origo, quis finis? Sed Hujus termini, perin-
de ac essentia, sacro teguntur involucro. Nescimus an

Illud à summo Numine nasci jubeatur præsentibus iis materiei combinationibus ex quibus exsurgunt corpora animantium vitæ matura: an vero existat per se; atque corpori animali, dum vita exoritur, divinitus insinuetur.

Nil vetat conjicere quod Principium Vitale Hominis emanet ex quodam Principio Universali quo Deus Naturam jussit agitari. Neque hoc videtur remotum à doctrina Veterum Philosophorum (a).

Dissolutis vero corporibus vivis quibus inhærebant, perire possunt illæ emanationes, quin ipsarum originis integritati quidquam decedat: haud secus ac solis radiis per loca tenebrosa inflexis & dissipatis manet hujus pulcherrimi fideris splendor perpetuus.

(a) Sapientibus Animantia naturæ *Specula* fuerunt nuncupata (Cælius Aurelianus Morb. Chron. Lib. IV. cap. 9.).

F I N I S.